TENTAMEN MEDICUM

N° 73.

15

CIRCA

RABIEM.

QUOD

IN ALMA FACULTATE MEDICA MONSPELLIENSI PUBLICIS SUBJECTUM DISPUTATIONIBUS PROPUGNARE CONATUS EST, IDIBUS QUINTILIBUS MDCCCXXXVI,

JOSEPHUS **MODLINSKI**,

e Paieczno, *Palat. Calis. in Polonia.*

Societatis Medico-Chirurgicæ Monspeliensis sodalis.

Pro Gradu Medicinae Doctoris Assequendo.

Est quadam prodire tenùs si non datur ultra.
HORAT.



MONSPELII,
Apud XAVERIUM JULLIEN, Typographum.
1836.

Amico Dilectissimo,

ALEXANDRO GRABOWSKI,

A PUERIS STUDIORUM SOCIO DULCISSIMO,

PATRII INFORTUNII CONSORTI,


OPUSCULUM HOC

DEVOTI ANIMI GRATÆQUE VOLUNTATIS

MNEMOSYNON

D. D. C.

MODLINSKI.



TENTAMEN MEDICUM

CIRCA

RABIEM.

Morbus horrendus vesani furoris convulsionumque accessibus, gulæ atque pectoris constrictione spasmodicâ, deglutiendi difficultate summâ, liquidorum ingenti horrore, rerum splendidarum, quin etiam aëris leviter commoti strepituumque singulari formidine, utique phænomenis ipsi peculiaribus nec non præcipuis insignis *Rabies* nuncupari solet. Quod verò inter terribilia hujusce mali symptomata aquæ horror præ ceteris maxime eminet ejusque tanquam genuinum stigma habetur, pro designandâ affectione isthàc vox : *Hydrophobia* sæpenumero pro τὸ *Rabies* usurpatur. Multa præterea leguntur in Authoribus præcipue veteribus ejusdem morbi vocabula, quæ omnia, ut præpostera æque ac inutilia symptomatis scilicet alicujus aut phænomeni paulo eminentioris indices ex usu communi jure exciderunt; siquidem certum est, naturâ rei fere penitus latente, ab externis, ut tunc solet, ejus signis deducta nomina eodem vestigio hærenti studio nihil omnino prodesse,

immo etiam ipsorum diversitate rectum plerumque detorqueri ingenii laborem ambagibusque demorari.

Priusquàm tamen rem aggrediar, notandum esse credo, quod Rabiem inter et Hydrophobiam, ratione originis atque naturæ, recentioris evi Nosologi nonnullam intercedere differentiam cotendant. Rabiem enim, ajunt, propriè dici eam affectionem, quæ ab insitione virus lyssigeni orta, aut sponte suâ sub quibusdam causarum conditionibus hactenùs ignotis nata, phænomenorum suprà memoratorum agmine insignis sit; Hydrophobiam (horror aquæ) autem symptoma esse adventitium, in plerisque morbis acutis obvium, quod sæpenumero neque rabiosam eorum declaret indolem neque adeò majus periculum necessario portendat. Et cum super discernendâ quorumvis hujusce mali casuum naturâ dissonæ plerumque adhùc authorum opiniones necquiquam componi patiuntur, quippè cum res eadem centum probata exemplis, totidem refelli potest; singulas autem Rabiei species utrumque nomen singulo, ut solet, distinctum epitheto intellectu reddit perfaciles, profiteor me de morbo, qui ab insitione virus robifici vulgo oriatur, pro meo instituto disserentem, hâc illâve voce promiscue uti nihil pensi habiturum. Ceterum, si consideremus, multarum observationum experimentorumque seriem attento animo perpendentes, in pluribus affectibus, præcipuè nervosis eamdem mali naturam, pro causarum, individuæ conditionis, idiosyncrasiæ aliarumque rerum varias posse præferre facies variamque induere formam; quum morbi contagiosi, sive epidemice sevire soliti, sive qui sporadice grassantur, non solum per luis contagium, sed et sponte aliquandò nasci aut alias comitari affectiones deprehendantur, neque ideò generis sui amittant indolem; cùm denique de morborum naturâ, non ex eorum causis, quas plerumque mens humana nullatenùs assequi potest, sed è signis eisdem propriis, symptomatibus atque organicâ lesione opinetur; nihil est, quin et omnes Rabiei casus, quemvis habeant originem et speciem, dummodò propriis declarentur signis, ad ejusdem naturæ referantur principium.

Et quidem Hydrophobia (1), phænomenon rabicum, (quod cu. potûs ciborumque aversione in quibusdam morbis gravibus obviâ neque quidquam in se rabidi denotante confundi non debet); in pluribus affectibus cum sporadicis tum epidemicis occurrit, nihilque aliud, meo sane judicio, indicare videtur, nisi quod systema nerveum, aut saltem certa ejus portio eodem prorsùs modo primitivi morbi vehementiâ afficiatur, ut à viru lyssico, sano homini communicato solet; et licet tum symptomata rabiosa paulò lenius seviant, nihilominus tamen Rabiem principi morbo implicitam commonstrant et contagiosam; quippè aut vires ægrotantis primi mali intensitate jam exhaustæ omnia phenomena rabiosa ad liquidum prodere impares sunt, aut illa primogeni affectûs symptomatibus domantur. Hoc igitur in casu, quoniam liquidorum horror bibendique impotentia maximè est perspicua, Rabiei speciem *Hydrophobiam* dici præstat. Hæc apparere visa est in morbis inflammatoriis, in iis, qui ex vehementi functionis cutaneæ pulmonumque perturbatione plerumque oriuntur; in rheumatismis violentis (*Marcel*, *Donat*, *Kœhler*); in febribus nervosis asthenicis, malignis (*Selig*, *Salmulh*, *etc*); in febribus exanthematicis (*Gesner*, *Hoffmann*, *Hufeland*, *Brogiani*); in cerebri lesionibus, apoplexiâ, (*Trécour*, *Goetz*, *Juncker*); in epilepsiâ, hysteriâ etc. etc. Nonnunquàm cum morbis epidemicis incedit; talem observavit *Rougemont* Londini anno 1758—59; *Sarcome* in suâ historiâ morborum Neapoli grassatarum pro certo affirmat vidisse se, plus vice simplici, hydrophobiam febri epidemicæ, quam describit, adjungi. In collectaneis Vratislaviensibus legimus hydrophobiam æstate ardentissimâ sub specie febris epidemicæ grassatam et constanter exitialem. Multas ejusmodi observationes videre est in scriptis Doctoris Selig. In febribus intermittentibus etiam symptomata hydrophobica nonnunquam ingruere sunt visa; illustris Alibert (1) ejus duo exempla refert, alterum a Dumas in Nosocomio Lugdunensi, alterum a Bullon notata.

(1) Quamvis *hydrophobia* aquæ tantummodo horrorem sonet, tamen et deglutiendi difficultas eâdem est comprehendenda; hæc enim illam excitare videtur, immo etiam absente liquidi horrore διςχαςαπoςι urget.

(2) Traité des fièvres intermittentes pernicieuses.

Rabies idiopathica a morsu hominis aut animalis cujusdam sani, sed irâ excandescentis aut aliquâ affectione animi afflicti oriri potest, ut Pouteau, Morgani, Mauget, Frank animadverterunt. Subitus pavor eum quoque efficere valet; pluribus observationibus Autorum et maxime Laudati St-Martin hæc opinio innititur. Secundum Andry affectio hæc sponte evolvitur, æstu fervido itinerisque non intermisso labore occasionem præbente. Hinc inferendum est, quod inter venenum lyssicum et animi affectionem præcipue vehementiorem, nulla prorsùs intercedat differentia; nam virus animantium, quod ab eorum irâ vel insaniâ vel denique morbo generatur, eadem ipsa prodere potest phænomena, quæ in Rabie communicatâ cernuntur, neque sine noxâ transmittitur.

His præmissis ad Rabiem simplicem, ab omni scilicet alia affectione liberam, eam denique, quæ ab animali rabido communicari solet, redire hortatur instituti operis ratio. Attamen operæ prætium est de causis, quæ potissimùm in animalibus, præcipuè ad genus *felis* et *canis* pertinentibus, Rabiem ingenerare valent, paucis eloqui. Itaque transpirationis cutaneæ defectus, nimius æstus aut immodicum frigus, alimentorum e regno animali provenientium ac corruptorum putraminumque esus, inedia, aquæ penuria malum hoc excitare posse putantur. Illustris Boërhaavius a vermibus in ductu choledocho, renibns, intestinis, naribus et cerebro hærentibus Rabiem nasci annotavit. Præterea, venus negata, affectus animi vehementes, pavor derepente incussus, immodica ira, in animalibus præsertim, quæ et calidioris naturæ sunt et ad iracundiam prona. Utut omnes ejusmodi causæ Rubiei originem dare existimantur, tamen eorum efficientiam ambiguam esse quotidiana fere docet experientia, nisi concursum quemdam earum certamque systematis nervei aut totius œconomiæ animalis ad concipiendum malum aptitudinem admittamus; quam rem ego, quia et nimis obscura est et parum ad mei instituti rationem refert, in medio relinquo.

De Rabiei Natura. Principium subtillimum et miasmatum aut morborum contagiosorum malefici genii ad modum penetrantissimæ indolis, in regno animali et maxime in generibus supra memoratis, sub

quibusdam corporis simulac causarum conditionibus sese evolvens, contagiosum, quod virus rabifici nomine designari placuit, omnino nobis celatur, et nonnisi effectibus suis, iisdem semper, suam probat existentiam. Atque mirum est, aliquando ejusmodi virus negari, Rabiemque affectionem putari merè nervosam; proinde quasi constantiam phænomenorum Rabiei propriorum nevrosi alicui sui generis, ob eamque rem prorsus ignotæ attribuere satius esset, quam causæ immediatæ eamdem ipsam nervosin producenti. Quod si a terrore, propter vulnus ab animali hydrophobo illatum, causam mali repetamus, ut quidam medici volunt, aut ab irritatione locali nervorum partis lesæ, secundum alios, ipsâ re coarguimur erroris, multa exempla ab observatoribus fide dignissimis relata, immo fere nemini ignota cernentes, quod homines a cane rabie correpto mordicùs appetiti, omnis periculi securi, summâ tranquillitate animi ad primam usque mali invadentis periodum fuissent, etiam casus sui obliti de diversâ affectionis suæ causâ conquererentur. Infantibus, utpote intellectu eorum nondum evoluto, omni periculi sensu carentibus morsum rabidum aut contactum humoris in animali hydrophobo secreti cum illorum partibus virus rabiem producturum insevisse experientia docet. Si a nervorum partis lesæ irritatione simplici hydrophobiam oriri posse consideremus, tunc dentibus animalis vix summam cutem stringentibus, aut salivâ venenatâ qualitate imbutâ solam partis superficiem tangente, vulneris atque adeò irritationis absentia malo originem dare par non esset; atqui rabiem, in tali re, non solum incidere, sed etiam magis exitiosum esse constat. Accedit, quod vulnus nudæ parti factum inter et quod per vestes aut densos pilos eam contegentes infligitur nihil interesse deberet, attamen illud longe perniciosius esse solet. Postremò vulnera, sive grandia et alta, sive levia a cane sano illata, a rabie non excipi nemo ignorat. Patet ergo hinc clarissime, quod neque vulneris natura, neque irritatio nervorum per se ipsa rabiem producere valeat, et quod virus quoddam existere debeat, cui morbi hujusce generandi indoles inest.

Quomodo agit virus sano corpori insinuatum? Sunt qui putent

quoniam inspecta rabientium cadavera multa persæpe inflammationis vestigia ostenderunt, veneni rabifici qualitatem esse summe irritantem, hoc primùm systema nervorum infici, quod proxime ad convulsiones sit referendum; deinde hinc vitium nasci humoribus vice suâ solidis labem inferentibus, quod inflammationis gangrænosæ quasi proximum sit : Boërhaave, Sauvages, Hoffmann, Cooper, Wanswieten etc., hanc profitebantur opinionem, et Rabiem, ut morbum summe inflammatorium tractari oportere putabant. Doctori Mead fluidum nerveum imprimis a quovis veneno animali infici videtur, idque tantâ celeritate quibusdam in casibus fieri solere, ut intra aliquot minuta mors adveniat. Ut vero enigmaticam virus lyssici in corpore moram explicet, pulpam cerebri, ait, ab eo aliquàtenùs alterari debere antequam malum certis signis elucescat. Nugent in opere quod anno 1753 publici juris fecit, prímos, ait, veneni cujuslibet effectus continuo per systematis nervei affectiones manifestari, quod omnia phœnomena, quæ insitionem virus excipiant, spasmodica sunt; idque ratiocinatione, quod punctio aut dileceratio tendinis, variolarum inoculatio, viperarum morsus etc. similibus viam patefaciant eventibus, probari posse autumat. Quœcumque autem est symptomatum a variis natorum venenis diversitas, et sanguinis et ullornm œconomiæ animalis humorum (salivâ tamen exceptâ) infectionem negat; in solidis eam tantùm virulentiæ propagatoribus ejusque præcipuâ sede, hærere putat. Itaque hanc opinionem expendit : virus plagæ insinuatum non absorbetur, sed fibris, quas penetravit, inhæret easque exitat, spasmos locales, occultos movet, dehinc sensim et sine sensu vicinos invadit tissus, latius longiusque diffunditur, motus spaticos concitans; quapropter tissus sic continuo motu irritati intumescere, functiones organicæ perturbari, intercludi, et malum eodem semper tenore magis magisque desævire, sursum prorepere, donec ad organon aliquod ad vitam individualem maxime nessarium progressum, totam œconomiam concutiat suique terribilia prodat indicia. Mederer medicus celeber Rabiem in mutatione muci, sive ejus a veneno elaborato infectione consistere opinatur. Enaux et

Chaussier sic Rabies definitur. *La Rage est une espèce de fièvre nerveuse, qui attaque le principe vital et produit dans toutes les humeurs et particulièrement dans la salive une dépravation telle, que la morsure d'un animal affecté de cette maladie la communique à un autre. Le Roux, Boutteille, Poutau, Villermet et Trollier*, ad eamdem fere accedunt sententiam.

Quod ad præcipuam sedem mali attinet, alii in cerebro, ut Andry, Marshall; alii in medullâ spinali, ut Hufeland, Reid eam esse existimant. Pulmones, aspera arteria, glandulæ salivariæ etc., ab nonnullis authoribus pro sede præcipuâ Rabiei habentur. Benj. Ruch et Aromatarius Hydrophobiam peculiarem anginæ speciem esse contendebant, eorumque sententiæ etiam Zvingeri observatio videtur favere, qui interstitia membranosa cartilagineorum asperæ arteriæ circulorum vidit intenssissime rubentia, fauces valde inflammatas; sed complurimis observationibus et dissectione cadaverum accuratiori eorum infirmatur opinio. Itaque Meadius in puero quodam hydrophobo dissectionem habuit; gulâ, cerebro, thorace et ventriculo examinatis nihil usquam præter solitum invenit. Multa exinde aperta cadavera raro inflammationis asperæ arteriæ aut faucium vestigia ostendisse constat. Cœterum, quis unquam ab Anginosi salivâ in cutem assidentium deciduâ anginam vidit communicatam, nedum ejus fomitem, si forte communicatus esset, diù certâ in parte latentem atque ex hâc demum se exserentem? Neque minus a ratione videtur aversum, quod quidam authores rabiem, vide licet propter salivæ venenatam qualitatem, inter glandularum salivariarum affectiones reponendam censuerint; siquidem dissectio cadaverum hydrophoborum diligens organorum istorum qualitates physicas, ut quæ solæ accuratius æstimari patiuntur, easdem, quæ in statu normali esse soleant, ostendit, nec quidquam in iis noxæ unquam repertum est (Trollier et Villermé). Prætereà humorem spumeum quem æger in ore maxime incommodam respuere conatur, non salivam esse, sed mucum fluidum, per membranam mucosam viarum aëriarum abunde secretum, aëri in respirationis conatu commixtum et spumantem, quidam authores et in his, *Faure* docuerunt. Nec

mirum, pulmones constantissime sanguinis plenos, aut omnino in vesiculas effusi inveniri; cum omni systemate nerveo vehementissime irritato, nervorum pars ad pulmonis functionem naturalem destinata, eodem malo laborans, solitam sibi perdat energiam, ob eamque rem organi hujus actionem imminuat, debilitet, quod stagnando sanguini idoneum est; eo accedit, quod humoribus depravatis, parenchyma pulmonum æque ac membrana mucosa bronchiorum irritentur inflammanturque; hinc anxietas summa, opressio prœcordiorum, dolor urens, dyspnæa etc.

Igitur principum authorum opinionibus collatis, noxarumque, quas accurata cadaverum hydrophoborum dissectio maximè obvias esse ostendit, consideratâ naturâ, Rabiem in affectione systematis nervei consistere non dubito; utpote, cum phœnomena morbida, quibus horret, non ab aliâ origine emaneant, at quod nervi non à contactu, ut ajunt, sanguinis infecti, sed directe à viru cum fluido nerveo ad cerebrum prorepente, aut imaginationis effectu, aut aliâ quâvis causâ, vehementer corripiatur, concedere nequeo. Constat enim, præter quod exempla exibeantur et inter alia: canem, qui sanguinem e venâ hydrophobi cujusdam missum lambisset, paulo post rabie correptum periisse; morbum hunc non statim ut plaga inferatur, se evolvere; quod fieri deberet, viru fluidum nerveum illico contaminante; quippe causarum in isthoc delicatissimum tenerrimumque corporis systema actio immediata multo celerius, quam in reliquis, malum pariunt; in rabie vero tringinta aut quadraginta dies plerumque elabuntur, antequam affectionis prorumpant symptomata. Et quidem virus, meo sane judicio, per vulnus aut membranam mucosam (hâc enim viâ facilius excipitur, cutis autem, propter epidermidis hebetudinem ab eo penetrari non videtur) cum tissibus quibusvis commissum non absorbetur, sed in organo, ob suam scilicet cruditatem indolemque ad perturbandam ejus functionem nondum idoneam, hæret innocuum neque diffunditur. Quare, si vulneris excidendi aut probe inurendi salutare adest consilium, viru sublato, funestum prævertitur malum. At cum hæc cura non adhibetur aut inconsiderate differtur, ingens periculum

imminet. Et enim vulnus, quod à communi morsu nullàtenus distat, actutum sanescit; nisi parte graviter dilaniatâ, sanatio difficilis sit; cicatrix obducitur nihilque doloris neque incommodi superesse videtur. At virus sub cicatrice inclusum cum humorum localium elementis commixtum paulatim fervere, elaborari, sensim sensimque maturescere adeò, ut intra aliquot dies venenum evadat perniciosum. Vasa absorbentia vicinique tissus hoc fermento perciti eriguntur, eorumque actio organica plus æquo intensa insolitos ciet motus, et virus novum pestiferâ imbutum qualitate cum humorum agmine trahit et in sanguinem devehit. Mox natura pro vitæ salute ordinisque naturalis conservatione maxime sollicita atque omnium, quæ ejus tenorem infringere minitentur, impatiens, lethiferum hunc hostem expellere molitur. Itaque vesicularum ad frenulum linguæ, sive potius, ad orificia ductuum salivariorum glandulæ submaxillaris fere constans eruptio, et pustulæ in cicatrice ipsâ apparentes, salutaris ejusdem naturæ conaminis in eliminandis corporibus extraneis, sive casu intra organorum compagem delapsis, sive in æconomiâ ipsâ, sub certis conditionibus morbosis, evolutis, solidis aut liquidis, effectus est. Pustulæ ejusmodi quarto aut nono ut plurimum, die postquàm plaga esset inflicta, nonnunquam etiam vigesimo aut tardius, pro veneni videlicet quantitate atque ægri idiosyncrasiâ, apparent humoris pellucidi plenæ, quod ipsum virus liquidum est, elaboratum, principio lyssico et parte humoris naturalis compositum, tanquam fermentum aliquod, cujus destruendi nisi festina adhibeatur opera, sanguini venosæ et lymphæ primò, deindè mediantibus his, toti œconomiæ animali labem inferre valet. Quod si accidit, sanguis venenatâ indole, irritanti videlicet, præditus atque in naturâ suâ vitiatus omnesque penetrans tissus, organa tàm vitæ animalis quàm vegetativæ et imprimis totum systema nervorum in concitatissimum abripit motum; hinc sævæ convulsiones actionisque organicæ perturbatio perniciosa; hinc functionum vitalium labor sensuumque tumultus immanis. Spasmorum vehementiam prolongatam interdum excipit inflammatio, quæ hìc atque illìc nonnumquam deprehenditur. Actio assimilatrix

sive nutritio proprie dicta et absorptio cum ob sanguinis depravationem, tum ob nervorum eidem præsidentium, resolutionem, quippe eodem malo ac magnus sympaticus, cerebrum nervique ab his orti urgentur, sensim sensimque labat, cessat, sistit; secretione universali adhuc partes suas fungente, donec et hâc demum prostratâ, vires frangantur vitales et mors amoliatur miserum.

Symptomata. Signa rabiosa in cane hydrophobo sunt : canis Rabie imminente per aliquot dies fit morosus, tristis, cibos fastidit, omne lumen odit, solitudinem et tenebras quærit, dominum quidem vocantem adhuc accedit eique blanditur, sed ignotis obmurmurat, non latrat. Mox difficultas deglutiendi apparet, aquæ aut alius cujusvis liquoris aspectu terreri videtur; inquietus ædes fugit, rectà procurrit, vix mordens viâ cedentes; post diem unum alterumve domum herilem magis anxius revisit, ipsique domino obmurmurat. Post, domum fugit, titubansque incedit, haud omnes mordens occurrentes; caudam remulcet; oculi ejus aut profondius in orbitis latent, aut proëminent, rubent scintillantque; vultus ejus torvus est, minax, furiosus; pili hirti, in collo et dorso vel maxime erecti; gula spumentis salivæ plena. Canes sani ipsum fugiunt ejulantes, sive instinctu, sive alia ratione de periculo moniti, aut morderi patiuntur non repugnantes. Caput et aures demissæ, lingua propendet, respiratio anhela, vox rauca; interdum aquæ aspectu aut corporum splendidorum convulsiones horrendæ excitantur. Post 5-6 horas furoris animal viribus exhaustus procumbit, neque resurgit, nisi corporibus, quæ ejus excitent furorem, præsentibus. Denique moritur in atrocibus convulsionibus, aut, quod sæpius fieri solet, longe ante hoc tempus obtruncatur.

Symptom. in homine. Vulnus recenter inflictum ab alio quocumque nullatenus differt, et sæpe cito clauditur, qu'n valetudo per tres aut quatuor septimanas turbetur. At circiter nonam diem, vel ocius vel serius, pro quantitate videlicet veneni et dispositione ægrotantis, vesiculæ sub linguâ evolvuntur, lynpham pellucidam, subrufam continentes, quæ post aliquot dies disparent. Tunc locus lesus sive jam clausus sive adhuc apertus calescit, prurit, ardet, dolo-

remque rheumatismo similem per totam partem sursum, puta: a digito ad metacarpum, inde ad carpum, antibrachium, brachium etc. diffundit; quin tamen tumeant glandulæ lymphaticæ, aut partes dolore affectæ. Paulo post, vulnus sanatum livet, nigricat, turget et sæpe aperitur; habitum deteriorem induit apertum; inflammatione corripitur, margines ejus retorquentur purulentâ et fetidâ sanie manant. Nonnunquam symptomatibus Hydrophobiæ prorumpentibus, nihil eorum in parte commorsâ apparere constat. Stadium hoc a vulnere accepto ad prima erumpentis mali indicia, nempe 20-40 dierum vulgo, *Incubationis* nomine ab authoribus designatur.

Interea symptomata irritationis cerebri, ventriculi nuncia consurgunt, dolor capitis gravativus, temporum compressio, somnus sæpe lymphaticis somniis tumultuosus, sæpius insomnia continua. Apud nonnullos hydrophobos intellectus functiones erigantur, memoria tenacior fit, conceptionum facilitas major, colloquium concitacius, pulsus paulo frequentior quam in statu normali, organa sensuum externorum vehementer excitantur; hinc rerum splendidarum, luminis strepitusque impatientia summa. Alii, contra, anxii sunt, taciturni, iracundi, animo fracto ac demisso, corpore debilitato; oculi eorum fulgore micant, post truculenti fiunt; vultus terroris imaginem exhibet. Interdum apud utrosque ventriculi ac intestinorum affectionis phænomena varia, ut: cibi fastidium, nausæa, vomitus, constipatio aut diarrhæa; pulsus naturali vividior; sitis accenditur. Hoc est *primum* Rabiei stadium.

His phænomenis prœgressis, mox symptomata hydrophobiæ peculiaria in scenam prodeunt. Liquidorum conspectu, aëris commotione aut luminis fulgore subnimio miseri subito inhorrescunt. Neque minus ægri sitim, quâ fere enecari videntur, restinguere cupiunt; at miserum! vix primoribus labris humorem exoptatum attigunt, cum violento horrore, spatico motu fatale rejiciunt poculum; et si quandò aliquid liquidi haurire detur, ob summam pharyngis atque æsophagi constrictionem, idem respuere coguntur. Tunc anxietas exoritur immanis; expuitio ore licet sicco frequentis-

sima ; quod ne salivam quidem et mucum spumosum deglutire concedatur. Subindè ægri clamorem edunt acutum, canino ejulatui analogum; ingentique quassantur horrore. Suspensos vel minimum murmur offendit; si januam vel patentèm occluseris, vel clausam aperueris, idem eos invadit horror ac si tota domus penibus concussa rueret. Si quandò miseri hydrophobi aliquam a torminibus remissionem nacti, labentes sitim sedare possint bibantque, post aliquot horas, omnia phœnomena rabida rursus consurgunt multo sæviora spasmorumque violentia major. *Stadium secundum.*

Deniquè malum magis magisque intenditur, pulsus acceleratur, vultus rubet, oculi nitent sub intermissione. In paroxismis verò, pulsus, exilis, depressus, contractus fit ; omnes ferè corporis partes atrociter convelluntur, oculorum obtutus vagus, minax, defixus aut agitatus ; spuma circà os colligitur ; vultus furrorem simulac ingentem terrorem pingit, vel luctuosus lamentum et desperationem prætendit. Dùm tragica hæc scena peragitur, delirium ingruit cum maximè terrificis rabiei et furoris symptomatibus ; dentium stridor horrendus, sæpe conspuendi mordendique conamen. Interdum dolor ad spinam dorsi existit, et priapismus modo, cum modo sine veneris desiderio. Sunt, qui accessione venturâ, ut recedant neque curas ultra protendant, adstantes rogant et dehortantur ; atque post paroxismum, pro injuriâ fors illatâ veniam dolentes petunt. Ad postremum, pulsus fit debilis, inordinatus, intermittens, insensibilis; respiratio adeò difficilis ut æger suffocatum iri videatur ; anxietas ad summum evecta, vox fere extinguitur, viribusque prostratis, sudor frigidus ac viscosus per totum corpus erumpit, extremitates frigent, et miser aut diris excruciatus torminibus aut per syncopem diem obit supremum.

Prognosis. Rabies raro diutius quinque diebus perdurat; sæpe intra biduum absumit ægrum; immo, viginti quatuor horas malo hocce correptos periisse memorant. Quod ad prognosin attinet, plurium rerum et præcipue : temperamenti, ætatis, sexus, idiosyncrasiæ, loci plagâ affecti, ejusque magnitudinis, temporis à primo

casu ad remediorum usum elapsi, etc., ratio est habenda. Itaque constitutio debilis, temperamentùm nervosum et lymphaticum hydrophobiæ evolvendæ vel maxime favere experientia docct. Metus, omniaque animi pathemata eruptionem ejus maturant. Quo magis pars lesa vasis absorbentibus et ramusculis nervosis abundat, eò periculum est majus. Denique morsns à cane rabido factus eò perniciosior est, quo longior curæ mora affertur.

Autopsia. Arteriæ omnes sanguine nec in aëre libero concrescente admodum distentæ; nonnunquam vasa hæc rupta sunt reperta, sanguisque ejusdem semper adspectus, effusus; contrà, venæ omnes fere inanes, aut aliquantulum sanguinis spumosi continentes, (Andry, Mead.) Dura mcninx crassa, rubens, sicca magis quam humida et instar chartæ pergamenæ crepitans. Membrana hæc sæpenumero in sinibus suis concretiones tenues, polyposæ naturæ sed facile dissolvendas habuit. Vasa omnia cerebri sanguinis adeo plena ut plexus choroïdes nigricarent. Pulmones nigro sanguine farti, quorum intcr lobos plcrumque bullæ aëreæ sunt deprehensæ, (Morgani, Mead, Sauvages). Stomachus glareâ viridi, subnigrâ inundatus, membranæque ejus lividis ac gangrænosis distinctæ maculis (Darluc). Intestina omnia persæpe coarctata, sicca aut gangrænosa. Jecur pallidum, turgidum, solito grandius sanguineque fluido fartum; vesicula bilis atræ plena, (Andry Darluc). Utut hæc sunt, tamen inflammationis summæ vestigia sunt maxime obvia : membranæ encephalicæ ac medullares rubent; membrana mucosa pharyngis intenssissime inflammata et muco viscido inducta; eadem viarum aëriarum ab arteriâ asperâ ad ultimos usque bronchiorum ramusculos æque ac pulmonum parenchyma inflammata mucoque spumeo illita; denique membrana gastro-intestinalis phlegmasiæ vestigia exhibet.

Cura. Primum medici, ad hominem ab animali rabido plagâ affectum, accersiti negotium est, ut sine ullâ morâ vulnus excidat, aut cauterio aliquo probe exurat, aut deniquè, si id ratio posceret, partem lesam amputet. Vulneris exitio aut partis commorsæ amputatio, quam Samuel Cooper, ut efficacissimum remedium comman-

dat, haud semper convenit, et nisi in partibus, quæ, sicut illustris Delpech notavit, profundius latiusque dilaniatæ et levioris in æconomia essent momenti, ut digitus, nasi extremitas, aurium conchæ pars aliqua, etiam manus, pes, eo remedio uti debet auctor. Cum propter rationem hanc amputatio aut excisio fieri nequeat aut non debeat, cauteriis vulnus aggrediendum est. Antequàm ferrum candens, aut aliud quoddam cauterium admoveatur, vulnus diligenter aquâ simplici, aut quod melius est, saponatâ, aceto, dissolutione potassæ, chlorureti calcis, etc., abluendum est; quo virus in superficie vulneris adhuc hærens lotionis repetitâ vice aliquâ saltem in parte auferatur; ob eam quoque rationem sanguinis fluxum sistere festinandum non est. Quod si vulnus inæquale, profundius fuerit sinusve habuerit, dilatandum incidendumque est, ut omnia puncta, ad quæ hærere venenum possit, cum lotionibus tum aliis remediis applicandis pateant. Sunt, qui parti vulneratæ cucurbitulam admovendam censent, nisi veneni ablutio absque sanguinis largiori fluxu obtineri possit. Sed hæc omnia, quamquam multum prodesse possint, tamen a rabie futurâ non liberant, et in urgente destruendi virus necessitate multum persæpe consumunt temporis.

Itaque vulnus rite mundatum, hæmorrhagiâ absente, probe inurendum est caustico, aut actuali, ferro scilicet candenti, aut potentiali, nempè : acidis mineralibus concentratis, lapide caustico, deuto-chlorureto antimonii, nitrate argenti fuso, deutoxido mercurii, ammonio liquido etc. Ferrum candens, quo Veteres semper in iisdem utebantur vulneribus, parcioris, nostris temporibus, est usus; propterea quod combustio ejus naturæ partibus tendinosis applicari nequeat et vulneribus profundioribus, sinuosis et multos vasorum nervorumque gradiusculorum ramos exhibentibus ferrum adigi periculum esset; præterea et illud incommodi habeat, quod et ægrum perterrefaciat, quod sedulo fugiendum est, et crustem inducit tarde lapsuram, quâ ulterior veneni fors latentis destructio impeditur.

Cauterium potentiale ægrotis minus formidolosum majoremque

mali securitatem promittens, quam quæ per ignem obtinetur, nostrâ ætate vulgo in usu est. Deuto-chloruretum antimonii, sive Butyrum antimonii ex omnibus cauteriis, superius enumeratis, primas obtinuit; tum quia perfacile applicatur et sinus vulneris penetrat exurens quæ adtingit : tum quia crustam inducit cito cadentem; unde obtinetur, ut iterari applicatio citius possit. Vulneri rite abluto ac siccato imponitur linamentum butyro antimonii probe imbutum; partes vicinæ sanæ a butyri actione linamentis siccis protegi debent. Tertiâ vel quartâ horâ post, crusta reperitur juste formata. Nitras argenti fusus et acida supra memorata eodem modo adhibentur. Ceterum, quodcumque eligitur cauterium, quæcumque cauterisandi instituitur methodus, rei præcipuum est, ut omnes vulneris partes, omnia etiam puncta, quibus insedit virus, destruantur; atque in tanti mali periculo longe præstat, ut ajunt, paulò nimium comburere quàm parum.

Crustâ lapsâ, si ulcus infasti esset aspectus atque abunde suppuraturum non videretur, àuthores secutus, vesicans applicarem, aut corporibus epispasticis, ut : pulvere cantharidarum, cortice gnidii, sinapi, etc., aspergerem, quò irritatio localis augeatur et suppuratio fiat copiosa, quam intra justos fines per 40-50 dies alerem. Hìc quoque, suppuratione languente, cucurbitulæ locus dari potest. Si autem forte tardius vocetur medicus, ubi vulnus jam sanatum sit, nihilominus tamen et sine morâ rumpendum est, eodemque modo ac supra agendum. Præterea, sive vulnere jam adusto ac suppurante, cum nondum satis certus est medicus omne se virus sustulisse, sive tarde accersitus, vulnus incidit sanatum, continuò sub linguam ægroti diligentissime inspiciat atque evolutionem vesicularum observet; quæ si sint, statim cauterio adhibito destruantur, orisque cavum dissolutione salis, aut decocto genistæ, ut suadet Marochetti, sæpe colluatur. Neque observatio doctorum Semella et Schæberd, qui affectionem hanc per chlorinam efficaciter se tractasse prodiderunt, rationi nostræ repugnat. Et quidem substantiæ istius excitantis miasmatumque neutralisandorum virtute præditæ, et forsan virus cujusvis domandi facultate, solutio

aquosa extrinsecus pro vulnere fovendo; eadem solutio ex dr. 2, saccharo edulcorata, quotidie intus data, ut citati auctores commendant, absque dubio ad mali vim frangendam strenue opitulari debet.

Simulat prima erumpentis hydrophobiæ signa prodeant, remedia quæcunque nihil prodesse putantur. Ut contra morbos vix non sanabiles alios, ita contra Rabiem plurima celebrantur medicamenta, vel inter plebem nota. Quod factum fuisse videtur propterea, quod qui iisdem sanati putabantur, infecti non essent; nam certe non omnes ab eodem cane demorsi rabie corripiuntur, sive quod demorsus dispositionem non habuerit, sive ob marsum per vestes adactum saliva ad vulnus non penetraverit, sive vero applicatum sanguinis, ope sit ablutum.

In ingenti remediorum numero hæc præcipua dantur: opium, moschus, camphora, assa fœtida, ammonium, mercurius, radix plantaginis aquaticæ, scutellaria laterifolia, meloë majalis; præcipitatio inopinata in flumen aut mare, aspersiones aquæ frigidæ; emetica, purgantia, sanguinis emissio etc etc. Antispasmodica contra causæ effectum nempe, symptomatum nerveorum sævitiam quidquam prodesse puto; quod vero ad malum erandicandum attinet, ea nihil valere. Neque antidotis a pluribus auctoribus laudatis nimis confidendum, quorum efficaciæ fides per experimentorum seriem infracta est.

Consideratâ nostræ super naturâ et sede mali hujusce ratiocinationis conclusione, computatisque felicioribus quibusdam multarum curandæ Rabiei viarum eventibus, hæc mihi eradicandi mali instituenda videtur methodus: Indicatio est, ut causæ primæ actio compescatur, suffocetur; ut effectus ejus, symptomatum scilicet atrocitas mitigetur, tollatur; denique ut vires ægri labentes sensim sensimque corroborentur. Itaque causâ præcipuè in fluidis hærente venesectioni incumbendum, sanguisque largiter et repetitâ vice emittendus est, quo veneni quantitas simul cum sanguine diminuatur atque ægro, sicut observatio docuit, liquidorum deglutiendorum facultas restituatur. Interea, ptisannæ

calefacientes, diaphoreticæ copiosè administrandæ; interdum certâ dosi antispasmodici cujusdam remedii adjectâ, pro symptomatum intensitate comprimendâ; idque eâ ratione, ut et sanguis residuus, vitiatæ naturæ extendatur, diluaturque, simulque actio ejus lethifera in systemâ nerveum frangatur, atque eumdem salutarem habeant effectum, quem injectio aquæ simplicis in venas hydrophoborum aliquoties obtinuisse refert illustris Magendie. Interdum purgantia et analeptico-tonica alternis vicibus danda, quibus æque ac per sudorifica, humores depravati excernantur et actio organica malo communi oppresa ressuscitetur.

Insuper, paroximis imminentibus, hirudines pone aures, ad partem colli anteriorem, sub claviculas admovendæ; vesicantia aut alia quæcumque emplastra fortiter irritantia thoraci et internæ brachii parti applicanda. Denique omnibus objectis, quæ sensus ægri excitent furoremque renovent, procul amotis, diligens cura hygenica adhibeatur necesse est. Æger ab omni inpressione infausta protegendus, consolandus, exhilarandus est, cum circumstantium amicorum aspectu et alloquio dulci, tum medentis ipsius vultu sereno suâque in arte fiduciam præferente, nec non agendi ratione salutis ejus prænuntiâ.

Hæc sunt quæ, in genere, de curandâ Rabie, èram dicturus.

FINIS.

Faculté de Médecine de Montpellier.



Professeurs.

Messieurs :

DUBRUEIL, Doyen.
BROUSSONNET, *examinateur.*
LORDAT.
DELILE, *examinateur.*
LALLEMAND,
CAIZERGUES,
DUPORTAL,

Messieurs :

DUGÉS,
DELMAS.
GOLFIN, *examinateur.*
RIBES, Président.
RECH.
SERRE, *suppléant.*
J.-E. BÉRARD.
RÉNÉ,

Agrégés en Exercice.

Messieurs :

VIGUIER, *examinateur.*
KUHNHOLTZ, *examinateur.*
BERTIN.
BROUSSONNET fils.
DUPAU.
TOUCHY.
DELMAS fils.
VAILHÉ.

Messieurs :

FUSTER.
BOURQUENOD.
FAGES.
BATIGNE, *suppléant.*
POURCHÉ,
BERTRAND.
POUZIN,
SAISSET,
ESTOR.

La Faculté de Médecine de Montpellier déclare que les opinions émises dans les Dissertations qui lui sont présentées, doivent être considérées comme propres à leurs auteurs, qu'elle n'entend leur donner aucune approbation ni improbation.